

stem erigit, & quod ultimum est summi officii genus, salutari oris fidere & blandi loquentia prævenit injuste lædentem. Tertius hostis harum virtutum longe acerbissimus, qui non solum amaram animi defectionem clausam nutrit, vultu alienationem, & acerbiter circumfert, verum etiam pectus exarmat immiserordia, clauditq; portas affectui humano, non aliter, quam si exutus hominem, hominem se ignoret, & miseriam humanam velit nescire. At clementia omnibus injuriis alior omnem acerbiter à se projicit, & injurias rependit beneficiis, & gratias ingratis, & faces novæ amicitia parta victoria lætus extollit, & quod summa gloriæ omnes quasi oblivioso masfco potus ebriusq; sepelit causas irarum. Sic Julius Cæsar aperto Scrinio literarum hostilium, quibus petebatur, nec oculos immisit, verum sui victor & ad perpetuitatem suæ clementiæ magnanimo igne, faces odiorum cremavit. De his tribus hostibus ad magni Pompeji imitationem tanquã tribus orbis partibus triumphat Clementia & mansuetudo. Verum omnibus triumphat magis clementia; illi enim triumpho lacertis & nodoso virorum robore; illi ensibus & armatis dextris parantur, non proprio Ducis decore, quamvis felicitati ducis cedant. Hic sui victoria, qua homo se ipso major, de se ipso triumphat. Grandius enim se, quam hostem vicisse; Hos tres hostes trahit in triumphum cum hac inscriptione: Vici, hostes beneficiis servavi, & meos feci victoriã mei. Jactantior fuit julii Cæsaris, at non verior Vox, & in scriptio sui triumpho: Veni, Vidi, Vici. At suis auspiciis non sua dextra, alieno labore fruitur triumpho, alieno sanguine triumphat. Vix a sequitur ingenium humanum fructus regios tantæ magnanimitatis. Quid gloriosius in vita, quam vivere hostem in sui gloriã? plus confert incolumis nomini, quam si ex oculis sublatus. Quia est continuum spectaculum alienæ virtutis. Sic enim DEO per similis evadit: Qui contentus nihil ex victo sumere per beneficia nisi gloriã mansuetæ clementiæ. Aude, Christiane, hanc gloriã appetere: Aude hos nobiles Triumphos ambire. Accenderis illatis injuriis? opprime flammam orientem in ortu. Instar pulli generosæ Aquilæ abde iram; clementia sit in procinctu; Illa præponderet in partem humaniorem, quicquid plus æquo futurum est. Subtrahe oculis & menti illud imaginem illatæ læsionis: impera leges amicitia oculis, sermoni, & totius corporis habitudini. Ejaculentur oculi blandimenta, qui tot ictibus poterant configere, quot obtutibus hostem intueri. Vultus tuus absolvat reum, doceatq; ad innocentiam reverti. Pudeat Christianum nullum modum iræ statuere, nisi quem læsatus affectus extorquet. Eja projice tela manu Christiane. Esto; habeas causam puniendi; crudelis es, si in exigendis pœnis non statuas modum. Imitare saltem Regem Gentilem Dionem Regem Sicilia. Hic Heraclidem & Theodotem & conjuratos habens in sua potestate, cum ultro se dedissent orabant, ut se benigniorem in illos exhiberet, quam in se ipsi fuissent. Decere Dionem, inquit, omni alia virtute præditum incomparabili, iræ quoq; imperare adversus ingratos; Qui de qua ante cum eo contendebant, nunc vinci se virtute fateantur. Quid ageret Dion? circumstant amici, urgent, tollat hostes è medio, permetteret militibus, extirparet ambitionem popularem, morbum Tyrannide non minus vesanum. O magnum Regem! se in Academia didicisse ait artes vincendi iram, & æmulationem & invidiam; Aliis Regibus permittere armorum usum & meditationem. Philosophiæ documentum esse, non erga bonos & amicos moderationem solum adhibendam, verum & injuriam inferentibus placabilitatem & lenitatem. Heraclidem velle se non tam opibus & prudentia, quam clementia